



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 17. Idem Peckinum delatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII.

A. C. 1721.

§. XVII.

*Mediobarbus Visitator & Legatus
Apostolicus Peckinum delatus.**Relat. della
Chin. p. 180.*

Die vigesima tertia Januarii Medio-
barbus Legatus Peckinum adve-
nit, ubi in Jesuitarum Lusitanorum
Collegio prandebat, in Conventu vero
Franciscanorum cubitum ibat; Patres
vero Cesatus, Ferrarius & Calchi in
æde S. Josephi, ceterique ad Majestatis
suæ servitium destinati in domo Patrum
Gallorum habitabant. Excipiebatur
magno jubilo Legatus, officiosa etiam
Moschi Oratoris salutatione sequenti die
honoratus: Postrema autem anni Sinici
die seu vigesima sexta Januarii unacum
PP. Raynaldo Maria & Josepho Pereira
& præfato Oratore ad Imperiale convi-
vium vocabatur, quo finito Eunuchus
Cinfi Imperatoris jussu Jesuitis Lusi-
tanis insinuavit, ut in eorum Ecclesia
pro Imperatoris incolumitate preces ad
Deum funderent, quibus peractis ejus-
dem Imperatoris nomine (quin tamen
alios præter Jesuitas Interpretum par-
tes agere vellet) Legato exposuit I. se
a sua Majestate ideo ad Jesuitarum Ec-
clesiam missum fuisse, ut illis indicaret,
quatenus in postremo anni die pro sa-
lute Imperatoris Deum exorarent,
hac-

hacque occasione Imperatorem, cum Sæc. XVIII.
 Deum nominasset, usum fuisse nomine A. C. 1721.
Xan Ti, eumque simul injunxisse,
 ut Legato significaretur, Imperatorem
 per hoc nomen eundem Deum indi-
 gitasse, quem Christiani vocant *Tien*
Chù, quamvis enim nonnisi uni-
 cus detur Deus, creator cæli, terræ
 & universi Orbis, hicque omnes proin
 Sinenses æque ac Europæos gubernet,
 ipse tamen diverso nomine appellari
 queat.

II. Suam Majestatem vehementer
 desiderare quamdam insignem Reli-
 quiam Christianam, quam secum de-
 ferre cuperet, ut ab infortuniis libe-
 raretur, opemque inveniret. Impera-
 torem vero eam non in minori decencia
 ac veneratione habiturum, quam quis-
 cunque etiam piissimus Christianus ha-
 bere posset. Hujus petitionis novitas
 Legatum ingenti admiratione defixum
 tenebat, die tamen prima novi anni,
 & sexagesimo Regiminis *Kam ki* anno
 prospera utriusque auspicia gratulatu-
 rus per Eunuchum Imperatori obtulit
 Crucem, cui inserta erat particula SS.
 Ligni Crucis Christi unacum duabus
 encausto pictis tabulis, quarum una
 Christi Domini, altera B. V. imaginem
 referebant. Has Imperator Legato
 remi

Sæc. XVIII. remisit, Crucem tamen cum omni ve-
 A. C. 1721. neratione recepit.

§. XVIII.

*Patris Laureati Visitatoris declaratio
 circa media pro incolumitate Mis-
 sionis Sinicæ.*

Die prima Februarii Pater Suarez a
 Roveda salutatus eidem declara-
 bat, credere se, quod Pontificis Con-
 stitutio merum sit præceptum Eccle-
 siasticum I. quia in Constitutionis fron-
 tispicio non legatur *Constitutio*, sed
præceptum, nec in titulo dicatur: *ad
 perpetuam rei memoriam*, sed *ad futuram
 rei memoriam*, II. quia ibi observantia
 omnibus inculcatur, *quantum in ipsis
 est*, quæ verba non fuissent apposita,
 si Constitutio esset absolute de fide,
 III. quia Pontifex de natura Rituum
 erat male edoctus. IV. Quia Ponti-
 fex magnam Constitutionis partem per
 permissiones sibi a Legato submissas re-
 tractavit. Altera die Pater Joannes
 Laureati Japonis & Sinarum Visitator
 ad Legati mandatum scriptotenus ex-
 posuit rationes, ob quas Missionarii
 munere suo post allatum Papæ præce-
 ptum fungi recusaverint: Erat autem
 hoc scriptum tenoris sequentis.

Duo